

*A Letter of Mr. John Davis Minister of little Leak  
in Nottinghamshire to one of the F. of the R. S.  
concerning the Wurtemberg Engine Dated 26th.  
November. 1684.*

Q U U M elapsa nuper æstate essem Londini, in manus incidit Tractatus quidam inscriptus *Sipho Wurtembergicus*, sive *Sipho inversus Cruribus æquealtis fluens & refluens hæc tenus inauditus*, De hac Machina magnifica prædicat Author prædicti libelli, afferens esse unam e duabus Machinis Aquariis, cui mundus parem non habet, si & utilitatem, & raritatem, & artificium spectes, sed Lectorem orat, ut ignoscat Patrono ejus Serenissimo quod mysterium structuræ ejus sibi servet. Dum itaque encomium hoc tam caræ, utilis, & artificiosæ Machinæ legerem, & de Fabricatione ejus serio cogitarem, in mentem venit, quomodo instrui possit Sipho, ut quæ de Wurtembergico illo narrantur, præstaret. Habens ergo in manibus, dum Tractatum illum evolverem, Syphonem quendam Vitreum, me ad inventionem cœlati prædicti Siphonis artificii applicui, & postquam Syphonem meum artificio eo, quod tunc mihi occurrebat, disposueram; erexit supra duo Vascula quantum potui perpendiculariter; dumque in eo situ sisteretur, affudi in unum ex Vasculis aquam, donec orificio Siphonis paululum superaret, & statim in alterum Vas ut expectabam effluebat aqua: tunc evacuato illo Vase in quod primo aquam infuderam in alterum effudi, & immediate aqua ista refluebat in prius Vas. Hoc dum in prima lectione prædicti libelli occupatus eram, expertus sum, & licet non ausim de Invento hoc gloriari, aut Artificium hujus Syphonis mei cum illo Wurtembergico, quod mihi adhuc (in quantum scio,) ignotum est, comparare: tamen si utilitatem spectemus, cum eo certare posse (præsertim si addatur ei Instrumentum quoddam, modo quodam peculiari à me excogitato,) non multum dubito, &c.      *The De-*